DE HESIODI THEOGONIAE PROOEMIO SCRIPSIT HERM. DEITERS: (PROGRAMM MIT...

Hermann Deiters

(Hesiod)
Deiters

PROGRAMM

DES

KÖNIGL. GYMNASIUMS ZU BONN

womit zu der

öffentlichen Prüfung und Abiturienten-Entlassung

am 28., 29. und 31. August 1863

ergebenst einladet

der Director

Prof. Dr. Schopen.

1. De Hesiodi theogoniae prooemio. Scripsit Herm. Deiters Phil. Dr.
2. Schulnachrichten. Vom Director.

GEDRUCKT BEI CARL GEORGI.

DE HESIODI THEOGONIAE PROOEMIO.

Aureum dictum Hesiodi, quo admonemur πλέον esse ἥμισυ παντός, in ipsis quae Hesiodi nomine feruntur carminibus aestimandis haud inepte usurpari non semel a viris doctis animadversum est. Quae cum ab omnibus fere concedatur et rhapsodorum variandi augendique studio et concinnatorum libidine a genuina forma prorsus esse deducta multisque locis vel graviter inquinata, desiderium sponte suboritur ipsorum priscorum poematum quae oblectationis causa legamus neque perpetuo sermonis rerumque salebris postea inductis turbati. Huius desiderii vim cum in omnibus quae nobis servatae sunt Hesiodeae poesis reliquiis, tum maxime sentimus in prooemio illo Theogoniae praemisso, quod totum fere in advocandis celebrandisque Musis versatur. Scatere enim illud repetitionibus molestissimis, in partes discerni non accurate inter se coniunctas, dicendi genus ostendere tam dispar, ut uni poetae, nonnunquam tam vulgare et absurdum, ut omnino poetae tribui nequeat, sententias hiare, immo hic illic vel contra metrum peccari: haec omnia cum pridem animadversa et indicata cuivis sponte quasi in oculos incurrant, vix opus videtur statim in limine scriptionis huiusce exemplis illustrare, sed lector potius ad ipsum prooemium percurrendum ablegandus. Conditionem eius talem esse videbit, ut neque singulis quibusdam versibus pro insiticiis habendis totoque prooemio theogoniae auctori abiudicando[1]), neque transponendis maioribus eius partibus[2]) quidquam in removendis difficultatibus proficiamus; verum in eo elaborandum esse, ut cognitis atque segregatis eis, quae aut posteriorum rhapsodorum in commutando libidini aut ipsi horum carminum concinnatori tribuenda videantur, pristinam formam si fieri possit restituamus, sive potius (ut statim quo tendam significem) ut complura illa et breviora prooemia, quibus auctis coniunctisque haec farrago conflata sit, agnoscamus et ad pristinum nitorem reducamus. Quam rem qui inde a F. A. Wolfio[3]) usque ad no-

1) Sic fere indicarunt Guietus, Ruhnkenius ep. crit. p. 90, Mützellius de em. theog. Hes. p. 366 sq., Göttlingius.

2) Hoc modo rem dissolvere conabantur Od. Müllerus in censura operis Mützelliani, Gött. gel. Anz. 1834 p. 1369 sq. et Klausenius Rhein. Museum Tom. III p. 439 sq.

3) Wolfius enim etiam Hesiodum tractaturis viam ostendisse videri potest his verbis, quae

stram aetatem impari sane successu conati sunt, ei profecto neque vanam speciem aequi arguendi sunt neque prorsus arbitratu suo agere, veterum testimoniis adiuti nullis. Nam primum de ipsis rhapsodis sive *ἀοιδοῖς* in conservanda genuina carminum recitandorum forma non semper admodum religiosis[4]), quippe ipsis poeticam quandam facultatem callentibus, testimoniis constat satis idonis; nec minus certe edocti sumus de societate illa Pisistratea, cuius opera non solum colligebantur et recensebantur veterum poetarum carmina, verum etiam componebantur, quae cum separata legerentur, ad idem argumentum pertinere viderentur. Illos autem viros non solum sparsam prius Homeri poesin redegisse, verum etiam Hesiodo operam dedisse, in quo Cercops Milesius occupatus fuisse putatur, luculentis prodit vestigiis[5]). Quibus testimoniis accedit in prooemio nostro tertium non minus memorabile et ad eius conditionem cognoscendam imprimis aptum, quod petimus e verbis Pindari Nem. II. 1: *Ὅθενπερ καὶ Ὁμηρίδαι ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοὶ ἄρχονται, Διὸς ἐκ προοιμίου.* Neque solum Iovem, verum etiam Musas aliave numina, priusquam ad carmina recitanda transirent, a rhapsodis invocata esse, discimus e scholiis Pindari[6]) et Plutarcho de mus. p. 1133 C.[7]) Consentaneum est eiusmodi prooemiorum satis magnum numerum extitisse; cuius generis hodieque non pauca exempla superesse in hymnis quae Homeri nomine feruntur, commune virorum doctorum iudicium est[8]); quorum ipsi postremi versus nonnunquam ita comparati sunt ut ostendant, iam esse poetam ad aliam narrationem transiturum. Poterant haec prooemia, maxime si eidem carmini idem semper praefigeretur, cum ipsis carminibus tam arcte coalescere, ut ab eodem poeta profecta viderentur atque ita coniuncta litteris mandarentur et posteris traderentur; quod factum esse videtur in Hesiodi Operibus et Diebus, cuius decem primos versus ab

in editione theogoniae p. 60 leguntur: »videor mihi in his deprehendere eiusmodi *προοίμιον* qualia olim Rhapsodi, priusquam ad aliorum carmina recitanda progrederentur, a semet ipsis componere solebant — nisi dicere malis, ex pluribus eius generis carminibus haec conglutinata esse, neque integra nunc haberi. Hiant enim inter se sententiae, abrupta sunt non pauca. alia ab Homero mutuata sunt, eademque mox aliis atque aliis modis variata.«

4) Wolf. Proll. XXIII.

5) Plut. Thes. 20. Athen. XI. p. 503 D. Cf. Od. Müller Proleg. p. 399, Ritschl Alex. Bibl. p. 54 et Coroll. huius disput. Bonnae a. 1840 ed. p 48, Bernhardy II. p. 282, Gerhard über die hesiod. Theog. adnot. 30.

6) *Αὐτοὶ οὖν (οἱ ῥαψῳδοὶ) τὴν ἀρχὴν ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐκ Διὸς ἐποιοῦντο προοιμιαζόμενοι, ἐνίοτε δὲ καὶ Μουσῶν· ὅλως γὰρ οὗτοι εἰς τὸν Δία προοιμιασάμενοι τοὐντεῦθεν ἤδη τῆς ἐποποιΐας ἥπτοντο.*

7) *τὰ γὰρ πρὸς τοὺς θεοὺς ἀφοσιωσάμενοι ἐξέβαινον εὐθὺς ἐπί τε τὴν Ὁμήρου καὶ τῶν ἄλλων ποίησιν. δῆλον δὲ τοῦτ' ἔστι διὰ τῶν Τερπάνδρου Προοιμίων.*

8) Cf. Baumeister in ed. mai. hymnorum p. 101.

ipso poeta non esse profectos pro certo compertum habemus.[9]) Poterant vero etiam rhapsodi nunc hoc nunc illo prooemio in carmine recitando uti, ut idem carmen variis exordiis ornatum a diversis hominibus audiretur aut, si forte litteris mandaretur, etiam legeretur; quae tum ab eo, qui haec omnia poemata in ea quae nunc extant redegit volumina, in unum corpus coniungebantur. Hoc factum esse in theogonia facile concedet is, qui intellexit talia eius prooemio contineri, quae cum Homericorum prooemiorum argumentis optime comparari, plura tamen, quam quae ad unius prooemii argumentum revocari possint; deinde orationem plus semel quasi de integro incipere, ac talia, quae in principio posita exspectares, aliis inserta esse quibus conciliari nequeant; postremo, id quod gravissimum esse putes, unum Homericorum hymnorum, XXV. in Apollinem et Musas, integrum fere comparere in prooemio nostro vs. 94—97. Videndum igitur erit, fierine possit, ut considerato singularum partium nexu et argumento genuinos illos hymnos agnoscamus et restituamus. Eum autem laborem posteris praeivit Godofr. Hermannus in celebri illa epistola ad D. Ilgenium hymnorum Homericorum editioni a. 1806 praemissa; in qua contineri coniecit prooemio nostro septem integra prooemia, quas dicit prooemii recensiones. Argumentis sane hanc sententiam haud stabilivit; nihilo tamen secius accuratius consideranti clarum fiet quam sagaciter et circumspecte ea, in quibus maxime offendatur, tollere viamque demonstrare conatus sit, qua haec omnia ita conflari potuerint; neque mirabimur, quod primo impetu non omnes offendendi rationes sustulerit eoque pervenerit, quo hic omnino procedi possit. Longum temporis spatium intercessit, quo rationes Hermanni a pluribus quidem reprehendebantur, ut a Müllero, Mützellio, Gruppio, a nemine autem accuratius tractabantur ita, ut in solvenda hac quaestione quidquam proficeretur. Gruppius interea[10]) notum inventum suum, quo antiquissimam theogoniam ternorum versuum strophis compositam coniecerat, ad prooemium quoque applicans partem eam, quam genuinam et Hesiodeam putaret (vs. 22—35) eadem ratione distribuere, et reliqua quomodo addita sint, coniectando assequi conatus est. Cuius sententiam de genuino quodam prooemio amplexus Hermannus, cum iterum de Hesiodi theogoniae forma antiquissima peculiari scriptione ageret (1844), non ternarias verum rursus quinarias ut per totum carmen sic etiam in prooemio

9) Cf. Procli introd. ad Hes. p. 3 Gaisf., Pausan. IX. 31. Verba illa ab Aristarcho damnata, a Praxiphane aliisque prorsus non lecta fuerant. Cf. C. Fr. Hermann. de Hes. op. prooemio, Gott. 1855.

10) Cf. Soetbeer, Versuch die Urform der hes. Theog. nachzuweisen, 1837. Gruppe, über die Theogonie des Hesiod, 1841. Huius libri censuram egit Ahrens, Gött. gel. Anz. 1842. p. 1257 sq.

strophas constituere studuit. Denique ab eadem sententia profectus Arm. Köchlyus[11]) ipsum illud „genuinum" prooemium versibus 22—35 comprehensum, quibus praemitterentur vs. 1—4, deletis versibus 25, 32, 38, versibus 22, 23 ante v. 2 transpositis adsumptisque vs. 104—106 et 111—113 ita constituit, ut „paene inscio" suborirentur octo ternorum versuum strophae; quo facto e ceteris prooemii partibus non minus quam octo prooemia seu fragmenta primo illi et genuino addidit. Extiterant autem praeterea, qui misso isto genuini prooemii studio neglectaque stropharum cura rem aggrederentur Lehrsius et Gerhardus. Atque Gerhardus in commentatione germanice scripta „über die hesiodische Theogonie"[12]) miram quandam de carmine amoebaeo in hoc prooemio conspicuo sententiam proposuit, atque duo carmina a duobus poetis alternando recitata ex eo facili opera restitui posse putavit. Qui quidem neque huius alternandi moris testimonia satis idonea proposuit, neque duo ista carmina ita constituit, ut nulla offendendi materia relicta sit. Lehrsius autem, cuius sententiam mireris a recentioribus fere neglectam esse[13]), divisit prooemium in quinque integros in Musas hymnos non quidem ab auctore theogoniae profectos, ex parte tamen fortasse compositos ut ei praemitterenter, auctosque particulis

11) De diversis Hesiodeae theogoniae partibus, Turici 1860. In qua commentatione duplicem antiquitus extitisse theogoniam coniecit, alteram antiquiorem ternariarum stropharum, alteram paulo auctiorem et quinariis strophis compositam; quam sententiam cum admirando acumine per totum carmen persecutus sit ceterasque eius partes simili modo percensuerit, id assecutus est ut iam nemo nisi ab ea sententia proficiscens de theogoniae forma quaerere possit. Quam tamen sententiam quominus etiam ad prooemium adhibeamus prohibet eius conditio et origo ab ipsa theogonia prorsus diversa; neque si cetera recte disputabimus talem responsionem statuere conabimur in poematiis tam exigui ambitus.

12) Inserta est commentationibus academiae litterarum Berolinensis a. 1856 pag. 91—159. Formam autem carminis qualem animo informavit expressit in editione theogoniae eodem anno publ. iuris facta. In universum quidem cum ceteris consentit dicens: »Das Prooemium unserer Theogonie für einen Knäuel zusammengewickelter Musenhymnen zu halten .... werden die meisten Kenner der heutigen hesiodischen Forschung nach mehr oder weniger Zaudern sich wohl entschliessen.«

13) Proposuit eam in censura dissertationis Rankianae »Hesiodische Studien«, inserta Annalibus Iahnianis a. 1840, repetita in libro quem inscripsit »Populäre Aufsätze« p. 235. Sententiam eius haec verba declarant: »Die Prooemien der Theogonie hatten die Gestalt von Musenhymnen, einige mit einem besonderen Uebergange fürs Gedicht.« — Postremus qui de origine atque aetate theogoniae Hesiodeae scripsit Ch. Petersenius progr. Hamburg. a. 1862, is huic quam nos tractamus quaestioni peculiarem operam non navavit; in universum prooemio nostro contineri censet duos in Musas hymnos, alterum in Heliconias (1—51, quo eum extendi mireris), alterum in Olympicas (52—103). Hunc postremum vel ea aetate conditum arbitratur, qua gens Achaeorum adhuc maximam Graeciae partem obtineret.

quibus transitus ad ipsum carmen efficeretur. Quam sententiam significatam magis quam argumentorum ope confirmatam ceteris omnibus praestare, atque ea tantum ratione mancam esse arbitror, quod prooemium solum dissecuit quodammodo, non autem singulas partes additamentis purgare et ad genuinam formam reducere conatus est.

Ac primum quidem Lehrsii sententia eo ceteris praeferenda videtur, quod non ut illi unam aliquam prooemii particulam ut genuinam theogoniae auctori vindicare studet, sed omnia rhapsodis, nihil ipsi poetae tribuendum esse censet. Hoc enim ipsa quam significavi hymnorum seu prooemiorum natura postulare videtur; quorum si quis unum praeter ceteros genuinum habet, nihilo autem secius in ceteris prooemii partibus integros hymnos aut hymnorum fragmenta inesse credit, vix poterit ostendere, quomodo rhapsodi, cum viderent carmini ab ipso poeta praefationem praemissam esse qua deae invocarentur, adduci potuerint ut dempta illa propriam suam substituerent. Hoc qui credet, etiam illud sibi persuadebit, fieri potuisse ut rhapsodus primum Odysseae librum recitaturus omissis versibus 1—10 aliud prooemium praemitteret, ac deinde pergeret: *ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες* etc. Immo si hic plura theogoniae prooemia habemus aliud alio exclusum[14]), necessario inde sequi puto ut nullum eorum ab ipso poeta, verum omnia a rhapsodis profecta sint. Iam si eos versus, quibus illi genuinum prooemium inesse putant, accuratius perpendo, multo etiam minus in hanc sententiam concedere me posse fateor. Sunt autem maxime versus illi 22 sq.

αἵ νύ ποθ' Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδὴν
ἄρνας ποιμαίνοντ' Ἑλικῶνος ὑπὸ ζαθέοιο·
τόνδε δέ με πρώτιστα θεαὶ πρὸς μῦθον ἔειπον
Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο·
Ποιμένες ἄγραυλοι, κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον,
ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,
ἴδμεν δ', εὖτ' ἐθέλωμεν, ἀλήθεα μυθήσασθαι.
Ὣς ἔφασαν κοῦραι μεγάλου Διὸς ἀρτιέπειαι,
καί μοι σκῆπτρον ἔδον, δάφνης ἐριθηλέος ὄζον,
δρέψασαι[15]) *θηητόν· ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν*
θεῖαν, ἵνα κλείοιμι[15]) *τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.*

14) »Wurden sie so gebraucht und schlossen sie dann, wie sie mussten, die andern Prooemien aus, so können sie auch mit allem Recht verschiedene Recensionen des Prooemiums genannt werden.« Lehrs.

15) His duobus locis, maxime altero, multum variatur in libris manu scriptis. Versu 31 in plerisque legitur *δρέψασθαι*, ut Musae Hesiodo dederint ramum ab ipso decerpendum. Hoc iure offensus Wolfius coniecerat *δρέψασαι*, quod ab Hermanno et Dindorfio probatum postea comparuit in codicibus Ven. 1. et Par. 1. Hi autem codices, quibus coniungi debet Flor. D. apud Lennepium,

καί μ' ἐκέλονθ' ὑμνεῖν μακάρων γένος αἰὲν ἐόντων,
σφᾶς δ' αὐτὰς πρῶτόν τε καὶ ὕστερον αἰὲν ἀείδειν.
ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην;

ex eodem fonte fluxerunt, quem A appellem (cf. v. 662. 663. 908. 940. Scut. 260. 329. 375. etc.), de cuius inter ceteros praestantia monui in diss. de scuti descr. p. 42. Cernitur autem haec praestantia non tam scriptoris diligentia singulari — satis enim multi loci in eis sicut in ceteris negligentia depravati sunt — quam eo, quod hi codices liberos se praestant immodica ista mutandi sive emendandi libidine per omnes fere reliquos grassata, ac praeterea quod pluribus locis meliorem lectionem in ceteris obscuratam aut plane exhibent aut litterarum ductu ostendunt, scholiorum testimonio nonnunquam confirmatam. Cf. Theog. 28. 82. 144. 326. 543. 916. Scut. 160 etc. Distinguendae autem sunt praeter illam duae codicum familiae, quarum alteri, quam B littera signarim (cf. Rankii scuti edit. p. 322), adnumerandi sunt Vaticanus Lennepii (O apud Gö.), Flor. F., Mediceus Dorvillii, Paris. E. et H. (cf. vs. 29. 49. 58. 290. 339. 340. 567. 744. 753). Permulta hi exhibent errore corrupta, nonnulla tamen etiam consilio immutata (Th. 290. 225. 924. 927. Sc. 302. 326. 428). Horum autem fonti similem codicem Triclinius adhibuit in codice ab ipso scripto Veneto 2. (cf. vs. 193. 359. 370. 465. 553. 753. Sc. 103.), e quo rursus fluxit cod. Flor. A. Triclinius autem plurimis locis, in quibus aut metrum sibi labem accepisse, aut contra grammaticam rationem peccatum esse videretur, rarissime etiam sententiae causa Hesiodi verba arbitratu suo commutare et emendare studuit, non adhibitis aliorum auxiliis nobis ignotis. Nonnullis adeo locis familiae illius B mendum tollere conatus est (Th. 658. Sc. 135), in quibus veram lectionem e ceteris familiis cognovimus. Plerumque sine causa et infeliciter rem suam egit; nonnunquam in rebus minutioribus veram scripturam leniter corruptam restituit, Th. 340. 537. 548. 628. 691. Sc. 165. Altera familia (C appellare possumus) in duas rursus minores discernenda videtur, alteram negligentissime scriptam multisque locis corruptam (Vat. 1 Gö., Flor. C., Par. D. G. Rehd.), alteram haud multum diligentia praestantem, hic illic autem praeterea consilio mutatam (Flor. E. Vat. V. Par. I. Taur. Lond. R. S.), neutram autem melioris lectionis in ceteris obscuratae vestigia praebentem. Communem omnes depravationem ostendunt v. 9. 67. 217. 447. 485. 525. 597., plerumque grammaticis quibusdam rationibus, futilibus sane, ortam. Huic autem familiae cognatus est et his et ceteris omnibus antiquior Flor. B. (= Med. 3.), cuius scriptor consilio Tricliniano persaepe simillimo poetae verba emendare studuit, ita tamen, ut vix uno duobusve locis recentioribus quoque editoribus emendatio eius probanda sit. Ab eo rursus pendent Bodl., Par. B., alii. Accedere eum ad C codicum similitudinem videmus e vs. 94. 435. 600. 648. 721 sq. 811. Sc. 54. 116. 240; versum 288 una cum C recte exhibet in ceteris omissum. Adhibuit sane etiam diversi generis exemplaria; sed neque hoc copiosius persequi hic possumus, neque quae de communi omnium archetypo afferri possint, quae quidem omnino ab eo tractari non debent, cui ipsis codicibus uti non contigerit. Hoc vero in universum tenendum est, nunquam unius cuiusdam codicis lectionem in Theogonia alicuius momenti esse, verum nonnisi familiae consensum ad iudicium faciendum adhiberi posse.

Versu 32 exhibent *θείην ἵνα κλείοιμι* codicum A et C familiae nonnulli, quae lectio confirmatur scholiis (*ἀκούων μανθάνω*) et agnoscitur a Triclinio et Florentini B. scriptore, versum restituentibus *ὥστε κλείοιμι* et *ὄφρα κλείοιμι*. *κλείοιμι* in multis recentiorum codicum correctum est, in nonnullis praeterea *θείαν* pro *θείην*, Hesiodeo mori proprium.

In quibus versibus videtur illis — certas enim rationes, cur haec potissimum sibi placeant, non proferunt[16]) — primum ipsa nominis Hesiodi pronuntiatio imposuisse, tum ipse narrationis color pristinam quandam simplicitatem prae se ferens; denique putarunt verbis illis postremis *ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα* etc. e vulgari sermone petitis aperte ad ipsum carmen transitionem fieri. Quibus rationibus mihi videtur aut plane contrarium effici, aut certe non quod volunt illi. Nam primum a veterioris epicae poesis indole alienissimum est poetam se ipsum nominare ac de se narrare, quem in Homericis carminibus nunquam sic quasi in lectorum conspectum prodire scimus. In solo hymno in Apollinem Delium (v. 172), siquidem is antiquioris aetatis testimonium praebere potest, poeta de se loquitur, sed nec nomen suum professus nec copiosam narrationem inserens. Et fuerunt adeo inter antiquos, quibus haec nominis pronuntiatio Hesiodea mirationi ac fere derisui esset; a Luciano certe in dialogo ab Hesiodo nominato poeta propter illum locum facete perstringitur; recentiorum autem video solum Schoemannum, sollertissimum ac subtilissimum theogoniae enarratorem, hanc sententiam pronuntiasse.[17]) In his igitur verbis equidem nihil testimonii, verum solam rhapsodi alicuius opinionem agnosco, ipsam theogoniam, cui ista praemitteret, Hesiodeam esse. Versum deinde postremum istum: *ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην;* cum Gruppius ut simplicia vulgarisque sermonis exemplum valde admiraretur, Wolfius tamen censuerat „aliquid contorti et invenusti" habere, quem si abesset non desideraret. Ortus scilicet inscitissima Homeri imitatione et sententiae et sermonis difficultatibus summis laborat. Recordatur poeta Iliadis XXII. 126, ubi de Achille sic dicitur

οὐ μέν πως νῦν ἔστιν ἀπὸ δρυὸς οὐδ' ἀπὸ πέτρης
τῷ ὀαριζέμεναι, ἅτε παρθένος ἠΐθεός τε —,

i. e. non licet nunc Achillem a rebus extraneis tempori reique non convenientibus incipiendo alloqui[18]). Hunc autem locum respexisse illum ipse Gruppius feliciter inde collegit, quod etiam priora versus vocabula *ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα* ibidem paucis ante

16) Solus Gruppius p. 4 hunc locum prae se ferre pronuntiat »das Gepräge der Originalität«, ac rursus p. 56 omnia hic esse dicit »wohlzusammenhängend, inhaltvoll, naiv«.

17) Schoemannus sententiam suam de prooemio nostro, in quo peculiarem operam haud posuit, breviter significavit in adn. 34 dissertationis de compositione theogoniae (Opusc. II. p. 503): »Falsarium, opus suum veteri poetae supponentem, etiam in prooemio agnoscimus, quod quamvis interpolatum, totum tamen abiudicari ab ipsius theogoniae compositore nullo modo potest, qui prorsus contra morem veterum vatum studiose providet, ne ignorarent lectores, quis esset, h. e. quemnam se videri vellet.« Ipsam Schoemanni sententiam a nostra magnopere discrepare vides.

18) Nam de oraculis hoc proverbium accipi, quod voluit Göttlingius, vetat alter locus Homericus Il. XIX. 163.

versibus (122) leguntur. Se ipsum igitur compellat, quod de rebus ad propositum non pertinentibus nimis copiose diceret; quod cum minime necessarium fuerit, tum invenustissime expressum est. Nam primum qui pro *ἀπὸ δρυὸς* substituit *περὶ δρῦν*, epicorum poetarum moris se immemorem praestitit, qui *περὶ* particulam nonnisi ad locum significandum cum accusativo iungunt.[19]) Verum licet hoc fieri possit, vix intelligi poterit quomodo verba apte construantur quidve subaudiatur. Videtur constructio conflata esse ex duabus hisce: *τίη ἐγὼ λέγω* (s. *ἐμοὶ λέγεται*) *περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην* et *τίη μοι ταῦτα λέγεται ὄντα ὥςπερ περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην;* quae tamen a bono poeta seu doctiore rhapsodo nunquam tam dure in brevius contracta essent. Caveamus igitur ne poetae tribuamus quae indoctissimi concinnatoris sunt.

Restat ut de ipsius narrationis indole dicam. Narrantur igitur Musae Hesiodo in Helicone oves pascenti apparuisse eumque iussisse misso isto se indigno negotio deorum genus canere. Hic primum quis feret, poetam postquam de se ipso ut alieno locutus sit, versu 24 subito prima persona uti[20])? aut Musas, quae antea fuerint Heliconiades, v. 25 vocari Olympicas? Iam consideres ipsa Musarum verba. Hesiodum plurali numero allocutae (*ποιμένες ἄγραυλοι*) vehementissimis conviciis invadunt (*κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον*), quibus apud Homerum ignavi bellatores seu despectissimum quodque hominum genus compellatur; cum tamen Hesiodum dignum habeant a quo ipsae ceteraque numina celebrentur. Quibus prolatis nihil dicunt ad transitum faciendum; non admonent eum, in quem tam acerbe invectae sunt, ut animum a talibus negotiis abstrahat ac maiora sequatur; non dicunt quaenam ipsae sint, de quo tamen indoctus pastor verbo certe monendus erat; sed statim de arte sua haec dicunt

ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,
ἴδμεν δ', εὖτ' ἐθέλωμεν, ἀληθέα μυθήσασθαι,

i. e. scimus et mentiri et si volumus etiam verum dicere. Hocine venerabilibus deabus dignum putabis? quae certe aut veritatis sese nuntias praedicare debent, aut si liberam poetarum inveniendi ornandique artem significare volunt, ea quae narraturae sunt non *ψεύδεα* dicent verisque opponent. Iam finem dicendi facientes ramum ab ipsis antea decerptum poetae in manus tradunt monentque eum quae canere debeat; ubi poeta oratione indirecta utitur quamquam in re maioris momenti. Praedicare autem iubent *τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα*, omissis praesentibus, quae tamen in nota

19) Itaque Heynius sic explicavit: *τίη μοι ταῦτα λέγεται ὡς* (*γενομένῳ, ὄντι*) *περὶ δρῦν.* Verum haec non erat sententia poetae.

20) Hoc iam pridem offensioni fuerat Heynio, qui propterea versus 24—35 ab alio additos esse versibus 1—23 putavit (in Wolf. ed. p. 144). Etiam Köchlyus in hac re offendit.

hac formula leguntur (*τά τ' ἐόντα*) infra vs. 38 et Il. I, 70; deinde vero deorum sempiternorum genus, ipsaaque. Iam ipse iudicare poteris, num haec omnia ad pristinum quendam nitorem et simplicitatem accedere et magis quam cetera genuina esse dicenda sint. Immo posterior horum plurimorum origo cum ipso narrationis colore, tum eo arguitur, quod compositor eorum haud obscure se Homeri imitatorem ostendit eis omnibus quae inde a v. 24 leguntur. Cum ipso versu 24 compares quaeso Il. I. 105, Od. VI. 21, similia; de v. 26 consule Göttlingium (*ποιμένες ἄγραυλοι* Il. XVIII. 162, *κάκ' ἐλέγχεα* Il. V. 787); versum 27 totum fere habes Od. XIX. 204

ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα,

versum autem 32 Homero deberi iam supra vidimus. Versus 33 ad exemplum v. 21 et 105 compositus est, versui autem 34 simillima legimus Hymn. XXI in Apollinem

ἡδυεπὴς πρῶτόν τε καὶ ὕστατον αἰὲν ἀείσει.

Itaque iam mittere possemus omnem huius narrationis ut pristinae ac genuinae admirationem, nisi videremus Köchlyum notandis interpolationibus ac transponendis versibus nonnullas offendendi causas removere studuisse. Antestatus enim ille p. 11 primum Boeotorum testimonium, qui teste Pausania (IX. 31) nihil nisi Opera et Dies Hesiodo tribuissent, monensque, Graecos natura sua magis ut aliena sibi adfingerent, quam ut testimoniorum beneficio ipsis vindicata a se arcerent, impulsos esse: accolas illos Heliconis contendit aut prooemium illud non novisse, aut pro mendacio habuisse, aut aliter atque hodie legisse; quartum non dari. Postremum solum admitti posse ratus versus 22. 23 ita transposuit ut statim post vs. 1. legerentur, quos tum vs. 2—4, 9, 10, 24 sequerentur; ut iam poeta Hesiodum nominans non de se ipso loqueretur. Mihi quidem neque ipsa ratiocinatio recte instituta, neque id quod restituisse sibi visus est prooemium difficultatibus prorsus liberatum esse videtur. Nam primum Boeoti, studio laudis domesticae ducti, nonne satis habuerunt, si ipsum Hesiodum sibi vindicaverant? cuius nomine quae ferrentur carmina ut ea omnia sibi adscriberent, huius profecto causam video nullam. Neque theogoniam Hesiodo abiudicantes in Boeotia compositam esse negabant. Köchlyus porro si theogoniam eodem fere tenore et sermone, quo hodie habeatur, etiam per totam a Pisistrato inde antiquitatem traditam lectitatamque esse dicit (p. 9) ac nihilo minus Boeotos, quibuscum Pausanias convenerit, prooemium aliter legisse putat atque nobis traditum sit, haec quomodo inter se conciliet ipse viderit. Denique si ipsius Köchlyi prooemium considerabis (p. 12), miraberis certe poetam invocatis Musis primum brevissime de Hesiodo dicere, et tum ad sedem Musarum transire; quo facto praeterea verba illa, quibus poeta de se ipso loquitur, multo abruptiora evadunt, cum iam nemo id amplius exspectet. Mittenda igitur illa versuum transpositio; Boeotorum vero opinio cui tanti esse videtur quanti eam fecit Köchlyus, is certe dicere debebit eos pro mendacio habuisse verba illa.

De tota autem hac narratione quid iudicandum sit et utrum ipsa prooemii loco posita fuerit an alius prooemii partem effecerit, utrum porro ab uno poeta sic ut eam legimus composita an ipsa rursus interpolata sit, infra videbimus; nondum enim prorsus actum esse video de genuini atque Hesiodei prooemii cogitatione. Dixerit aliquis, fieri non potuisse ut integrum carmen sic inciperet: *Ἤτοι μὲν πρώτιστα* etc., quibus aperte carmen praecedentibus quibusdam adiungeretur. Hoc igitur qui nobis opposuerit, is primum remittendus erit ad comparandum exordium Operum ac Dierum: *Οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος* etc.; quibus quamvis adeo consecutio e superioribus significari videatur, tamen non offendendum esse apte demonstravit C. Frid. Hermannus in diss. de Hesiodi Operum prooemio Gottingae 1855 in lucem emissa p. 5. Sed ut ne huic quidem comparatum ferri posse illud *ἤτοι* videatur, numquis, interrogo, pro certo affirmare ausit, hanc esse genuinam huius exordii formam neque fortasse postea inductam? Quod quidem Aristoteles duobus locis (Phys. ausc. IV, 1, Metaph. I, 4) ita scriptum exhibet: *Πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ'*. Num putabimus Aristotelem, Homeri interpretem,[21]) memoria lapsum esse in Hesiodo citando? num consilio eius verba immutavisse, id quod voluerunt quidam? quibus mihi multo veri similius esse videtur in scripto exemplari Aristotelem ita legisse. Sed hanc quaestionem hoc loco non licet persequi;[22]) nam opus est tandem aliquando ut missa de genuino theogoniae prooemio cogitatione aggrediamur id quod nobis proposuimus, ac videamus fierine possit ut integros hymnos quibus haec farrago coaluerit rectius atque antea factum sit dignoscamus.

21) Wolf prolegg. XL. p. 183.

22) Falluntur sine dubio, qui Hesiodum putant nobis prorsus talem servatum esse, qualem Alexandrini legerint, nec posteriore tempore corruptum et interpolatum. Extant enim primum in scholiis quamvis perpauca, luculenta tamen vestigia melioris lectionis, quae in codicibus obscurata sit. Huc referri potest e prooemio nostro primum *γηρύσασθαι* illud v. 28 pro vulgato *μυθήσασθαι*, quod sane etiam in codicem Ven. 1 transiit et Par. 1 margini adscriptum est; deinde vs. 91 pro omnium codd. lectione *ἀνὰ ἄστυ* scholia habent *ἀν' ἀγῶνα*, praelatum illud iam a Mützellio et Köchlyo. Etiam verba scholiastae ad. v. 26: *Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Ῥόδιος λείπειν τὸν πρῶτον στίχον φησίν· οὐ λείπει δέ, ἀλλ' ἔστι Ποιμένες* etc., quamquam vario modo intellecta (cf. Hermann de theog. p. 5, Schoemann de schol. Theog. p. 24), mihi facillime ita explicanda videntur, ut dicatur Apollonium in suo exemplari illum versum non habuisse. Ipse Aristoteles eisdem locis versum 120 ita exhibet: *ἠδ' Ἔρος, ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισιν*, cum in libris nostris scribatur: *ἠδ' Ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι*. Sane in hoc Erote qui plerumque dicitur theogonico praestabat dignitatem et potentiam quam pulchritudinem celebrare. Addi possunt loci permulti, in quibus codices nostri universi scripturam exhibent corruptam et aut Byzantinorum aut recentiorum coniectura correctam; totos adeo versus legimus e glossematis ortos et in carmen intrusos, ut 199. 200. 282. 283; sed iam illis exemplis abunde efficitur, eos qui in vs. 116 contra Aristotelis lectionem disputare velint, non posse ad codicum nostrorum consensum provocare.

Hymnos igitur seu prooemia investigaturis eis similis, quae Homeri nomine nobis tradita legimus, quaerendum videtur, quodnam talium hymnorum argumentum esse consuerit; quod quidem in eis qui nobis servati sunt triplex maxime fuisse invenimus. Aut enim dei alicuius natura, virtutes ratioque vivendi exponitur (ut Dianae IX, Minervae XI, Neptuni XXII, Vestae XXIX etc.), aut fabulae de natalibus deorum narrantur (ut Veneris VI, Castoris et Pollucis XVII, Mercurii XVIII, Minervae XXVIII) aut denique praedicantur ea quae hominibus largiri soleant (cf. H. XXII alios); interdum unum cum altero coniunctum legitur (H. XV etc.). Hoc praemonuisse in theogoniae prooemio haud inutile videtur; in cuius partibus discernendis si ceteris argumentis hoc accedit, quod illarum rerum unam plene ac perspicue parte quadam exhiberi videmus, multo etiam confidentius contendemus eam in se absolutam et perfectam esse. Illarum autem rerum nulla in prooemio nostro desideratur. Habemus Musarum vitam et artem vs. 1—10, 36—43, 68—70 descriptam, natales vs. 53—61 narratas, munera quibus homines impertiant inde a v. 81 exposita. Cetera quae in eo leguntur, pertinent fere ad ipsum theogoniae argumentum, quod praefando indicant; quod fieri videmus vs. 11—21, 44—50, 105—114.

Atque illud sine dubio ab omnibus concedetur, legentibus ab initio usque ad vs. 35 hic iam esse subsistendum, nec posse sequentia cum superioribus coniungi. Primum enim versu 36 aperte denuo incipitur; tum vero inde ab hoc loco Musae in Olympo versantur et Olympiorum deorum consessum concelebrant, cum antea in Helicone fuerint. Versibus igitur 1—35 Lehrsius putavit integrum ad theogoniam prooemium effici. Quos tamen versus si accuratius perpendimus, multa occurrent, quae ad unius poetae consilium revocari nequeant. Atque argumentum eorum si consideramus, videmus hanc partem rursus in tres particulas discerni, quarum prima (1—8) Musae celebrantur in Helicone versantes, altera (9—21) dei Musarum cantu celebrati enumerantur, tertia (22—35) Musarum ad poetam allocutio narratur. Harum autem partium nulla cum altera ita cohaeret, ut duae ab uno poeta profectae esse possint. Adspicias primum duas priores particulas, qua ratione inter se coniunctae sint. Versibus 1—4

Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεϑ' ἀείδειν,
αἵϑ' Ἑλικῶνος ἔχουσιν ὄρος μέγα τε ζάϑεόν τε,
καί τε περὶ κρήνην ἰοειδέα πόσσ' ἁπαλοῖσιν
ὀρχεῦνται καὶ βωμὸν ἐρισϑενέος Κρονίωνος·

Musae describuntur Heliconem incolentes et circa Aganippen fontem Iovisque aram saltantes, imagine dearum naturae apta et simpliciter exposita, quae vel ad integri cuiusdam hymni brevioris argumentum commode adhiberi poterat. Sequuntur quattuor versus repetitionibus et molestiis referti

καί τε λοεσσάμεναι τέρενα χρόα Περμησσοῖο,
ἢ Ἱπποκρήνης, ἢ Ὀλμειοῦ ζαθέοιο,
ἀκροτάτῳ Ἑλικῶνι χοροὺς ἐνεποιήσαντο
καλούς, ἱμερόεντας, ἐπερρώσαντο δὲ ποσσίν.

Nam quis feret iteratam saltationis commemorationem vs. 7, trium aquarum in quibus Musae lavari potuerint enumerationem, ipsam earum lavationem alias inauditam, quis porro transitionem a descriptione (*ὀρχεῦνται*) ad narrationem (*ἐνεποιήσαντο*), denique *ἐπερρώσαντο* vocabulum de Musis ingratissime adhibitum? Hos igitur versus Göttlingius uncinis inclusos merito a superioribus segregavit; ac mihi quidem simile initium versuum 3 et 5 *καί τε* consideranti ita orti esse videntur, ut rhapsodus, studio narrationis iam hic introducendae motus, versus 5 et 7 priorum duorum loco substitueret, his autem postea vs. 6 et 8 ineptissime adderentur. Verum tamen eiectis istis restant 9. 10

ἔνθεν ἀπορνύμεναι, κεκαλυμμέναι ἠέρι πολλῇ
ἐννύχιαι στεῖχον περικαλλέα ὄσσαν ἱεῖσαι,

qui cum prioribus non possunt conciliari; nam et hi narrandi formam (*στεῖχον*) servant. Praeterea ipsorum verborum cum Homericis nonnullis similitudine[23]) imitatoris manum ostendunt, cuius in quattuor prioribus exemplum non habemus. His autem versibus introducitur deorum quos Musae cecinerint enumeratio vs. 11—21, quae licet deos non eo ordine, quo in ipso carmine se excipiunt, dispositos exhibeat (ab Iove enim incipitur), tamen vix negari poterit ad theogoniae argumentum breviter significandum composita esse.[24]) Unus adeo eius versus 18 ad theogoniae vs. 371 exemplum expressus est. Hanc igitur enumerationem versibus istis 9. 10. introductam iure colligimus non a prioris celebrationis auctore profectam esse; neque conveniret talium hymnorum naturae, quales quidem et veterum testimoniis et Homericorum exemplo fuisse conicimus, tam copiosa carminis cuiusdam argumenti indicatio.

Cum hac autem altera particula rursus nullo modo cohaeret tertia, quae est de

23) *Κεκαλυμμέναι ἠέρι πολλῇ* apud Homerum est Il. III. 381, Od. XI. 15, *ἔνθεν ἀπορνύμεναι* Hymn. XXIX. Hom. Epigr. IV. Haec postrema verba quid apud Hesiodum sibi velint vix accurate dixeris. Etiam *ὄσσαν ἱεῖσαι* e prooemio nostro (10. 43. 65) apparet frequens fuisse inter rhapsodos formula.

24) In hac enumeratione monuisse attinet, versus 18. 19 inverso ordine in omnibus codicum familiis atque sine dubio in ipso archetypo scriptos fuisse. Ordinem quem exhibent editiones, codicum praestat Florentinus B quique ab eo pendent. Similitudinem versuum 18 et 20, quam librarius ille evitare volebat, ita tollendam puto ut vs. 20 spurium habeam. Videtur eo id agi, ut aliquid saltem de carminis principio proferatur.

Musis Hesiodo apparentibus (v. 22). Etenim potestne aliquid absurdius cogitari, quam poetam de deorum genere cantaturum atque sic praefaturum, ut ab ipsis Musis sua didicisse dicat, Musas antea alio loco haec omnia canentes inducere ac tum demum ad ipsum venientes, hic autem de cantus argumento brevissime tantum dicere, ita tamen ut unum versum ad verbum fere repetat (21 = 33)? Omnino deorum generationem, compositam ut ea ad theogoniam transiretur, nihil praeterea sequi potuit; neque intercedit inter has particulas verborum vel sententiarum coniunctio ulla.

Iam diceres, recte quidem negari alteram cum tertia particulam coniungi posse; verum nihil obstare, quominus eiecta seu forte transposita deorum enumeratione Musarum illam descriptionem (1—4) statim excipiat haec narratio versu 22 incipiens; ut ab uno poeta profecti sint versus primum 1—4 ac deinde 22 sq. Huic sententiae obstare videtur primum montis Heliconis nominatio intervallo nunc brevissimo ter repetita, qui bis ζάθεος adiectivo ornatur; deinde vero in memoriam redeunt omnes illae offensiones, quarum causa supra negabamus his versibus genuinum et Hesiodeum prooemium effici, et quae nunc etiam vetant hanc narrationem inter vetustissimas prooemii partes connumerari. Haud tamen reticeam hoc loco meam aliquam de eius genuina forma coniecturam sane audaciorem, quae tamen si vera sit, iudicium de eius consilio paulo ni fallor simplicius reddet; quam quidem iam supra afferre potuissem, nisi huc magis pertinere visa esset. Memineris neque in primis versibus 22. 23, neque in postremis 33. 34 nos habuisse quod reprehenderemus; haesitasse autem maxime in prima persona v. 24, et in ipsis Musarum verbis 26—28 fere ad Homericum exemplum conformatis, neque defuisse in sequentibus quae displicerent. Versuum autem coniunctionem accurate considerans videor mihi inter vs. 32. et 33 commissuram deprehendere partium antea non iunctarum. Cum enim v. 32 poeta edoctus sit quae caneret (ἵνα κλείοιμι), mirum est v. 33 iubendi canendique notionem cum vi quadam repeti, nec minus, cum futura ac praesentia praedicare iussus sit, quibus generatio deorum inclusa est, eam rursus specialiter proponi. Itaque cum etiam vs. 23. et 24 propter mutatam personam vix conciliari possint, vide an recte suspicemur, haec omnia quae hic inserta leguntur posterioris esse originis, antiquissimam autem huius narrationis formam hanc fuisse

22 αἵ νύ ποθ' Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδήν
ἄρνας ποιμαίνοντ' Ἑλικῶνος ὕπο ζαθέοιο,
33 θεῶν δ' ἐκέλοντ' ὑμνεῖν μακάρων γένος αἰὲν ἐόντων,
σφᾶς δ' αὐτὰς πρῶτόν τε καὶ ὕστερον αἰὲν ἀείδειν.

Hoc modo cum plurimas offensionum istarum evitaverimus, iam redit quaestio, utrum illa cum vs. 1—4 ab initio iuncta fuerint, an eis a rhapsodo quodam postea addita, an vero adsumpto forsitan primo versu peculiarem hymnum effecerint: nam de

genuino carminis prooemio ne nunc quidem cogitabit quisquam. Primum cur fieri non potuerit, supra monui; neque tertium mihi admitti posse videtur; nam profecto haec narratio non satis plenum integri hymni argumentum praebere potuit. Itaque alteram rationem veri puto simillimam esse; scilicet rhapsodus quidam hymno theogoniae praemittendo non solum brevem argumenti indicationem addere, verum etiam auditores edocere volebat de auctore carminis, quem scilicet ipse auctorem putaret.

Haec omnia si verisimiliter disputata sunt (nam hoc semper memineris, prorsus vere certeque in his quaestionibus nihil affirmari posse), habemus versibus 1—35 primum brevem Musarum celebrationem peculiari hymno aptam et conditam fortasse a rhapsodo ut ipsi theogoniae praemitteretur; deinde duas eius continuationes ab aliis compositas ut ad carmen de deorum genere magis perspicue transitus fieret, ita quidem, ut aut sequentis carminis argumentum paulo copiosius indicaretur, aut poetae nomen proferretur addita brevissima carminis argumenti indicatione; utramque autem rursus nova aliorum libidine auctam et interpolatam. In celebratione autem illa desideramus unam rem Musis profecto inter omnes maxime propriam, cantum; neque putabimus poetam Musas saltantes, non etiam canentes finxisse. Nemo obiciet hic nobis vs. 10 sq., ubi canere incipiunt deorum genus; nam primum hic dicerentur cantum incepisse postquam Heliconem reliquerunt; deinde hunc totum locum diverso auctori tribuendum esse vidimus. Itaque suspicor celebrationem illam, cum a rhapsodis continuaretur, in fine mutilatam esse unumque aut duos versus suppressos, quibus de canentibus Musis breviter dictum esset. Neque desunt in sequentibus, quae apte adhiberi possint ad talium versuum argumentum coniectando assequendum, maxime formula illa quae simillime expressa invenitur in alterius tertiaeque partis fine, *μακάρων* seu *ἀθανάτων γένος αἰὲν ἐόντων*, quam iure suspiceris in ipso antiquiore hymno extitisse. Inde brevem illum et antiquissimum hymnum hunc fere fuisse conicias:

Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν,
αἵθ' Ἑλικῶνος ἔχουσιν ὄρος μέγα τε ζάθεόν τε,
καί τε περὶ κρήνην ἰοειδέα πόσσ' ἁπαλοῖσιν
ὀρχεῦνται καὶ βῶμον ἐρισθενέος Κρονίωνος,
. . . .
[ὑμνεῦσαι μακάρων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων.]

Hoc autem prooemium, quod et ambitu et argumento cum brevioribus illis Homericis aptissime comparari posse vides, versu terminabatur aut ipso 104

Χαίρετε τέκνα Διός, δότε δ' ἱμερόεσσαν ἀοιδήν,

aut alio huic simillimo, in componenda hac farragine omisso.

Progredimur ad alteram prooemii partem versu 36 incipientem, quo iam supra monuimus novam rerum seriem induci. Verbis enim

Τύνη, Μουσάων ἀρχώμεθα, ταὶ Διῒ πατρὶ etc.,

non ab una re ad alteram transitur, sed integra celebratio incipit. Sane eam non existimo antiquitus voce τύνη incepisse, quam contra vocem inductam puto a concinnatore, qui intelligeret non posse in uno quod efficeret carmine bis de integro initium fieri. Τύνη autem nunquam alia notione usurpatum invenimus nisi alterius personae pronominis; talis autem poetae ad se ipsum allocutionis, quae iam Wolfio durissima videbatur, neque idonea explicatio neque simile exemplum ab ullo editore allatum est. Quo vocabulo a concinnatore inserto equidem puto aliud bisyllabum suo loco deiectum, ipsum autem versum ita fere ab initio pronuntiatum fuisse Μουσάων ᾄδειν ἀρχώμεθα etc. Iam Lehrsius versibus 36—51 integrum prooemium contineri censuit, a quo assumpto v. 104 ad theogoniam transiretur. Totum autem locum si accurate perlegimus, videmus versibus 36—41 cantum Musarum in Olympo, quo dei oblectentur, satis perspicue et venuste, paulo fortasse copiosius et ornatius describi. Habemus deinde versibus 44—50 rursus singulorum numinum enumerationem aperte ad argumentum theogoniae pertinentem. Haec autem superioribus iunguntur insertis versibus 42. 43.

σκιδναμένῃ. ἠχεῖ δὲ κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου
δώματά τ' ἀθανάτων. αἳ δ' ἄμβροτον ὄσσαν ἱεῖσαι
θεῶν γένος etc. —

quos apparet scatere repetitionibus et ambagibus. Nam quis aequo animo feret ἠχεῖ δέ κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου post v. 39 γελᾷ δέ τε δώματα πατρός, quis vocabulum δώματα bis positum vs. 43 et v. 39? Olympum porro ut deorum sedem qui νιφόεντα appellavit, is certe immemor erat Homeri, apud quem ille (Od. VI. 43)

οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται —;

denique verba ὄσσαν ἱεῖσαι v. 43 ad exemplum versus 10 a rhapsodo simile consilium persequente conformata sunt. His igitur versibus, ad commissuram faciendam compositis, remotis brevem accipimus hymnum ex eodem genere, cuius exempla permulta in Homericis habemus

Μουσάων ᾄδειν ἀρχώμεθα, ταὶ Διῒ πατρὶ
ὑμνεῦσαι τέρπουσι μέγαν νόον ἐντὸς Ὀλύμπου,
εἰρεῦσαι τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα,
φωνῇ ὁμηρεῦσαι· τῶν δ' ἀκάματος ῥέει αὐδὴ
ἐκ στομάτων ἡδεῖα· γελᾷ δέ τε δώματα πατρὸς
Ζηνὸς ἐριγδούποιο θεᾶν ὀπὶ λειριοέσσῃ.
Χαίρετε, τέκνα Διός, δότε δ' ἱμερόεσσαν ἀοιδήν.

Huic autem hymno, cum theogoniae praemitteretur, addebantur vs. 42—50, quibus ad theogoniam transitus fieret argumento eius breviter indicato, eodem modo quo primus ille hymnus augebatur versibus 11—21. Et videmus quidem hic ordinem ipsius carminis consulto conservari, cum primum numina Terra et Coelo progenita nominentur, deinde quae ab his rursus orta sint (45. 46), postremo Iupiter ut omnium maximus. Versum 50

αὖτις δ' ἀνθρώπων τε γένος κρατερῶν τε γιγάντων

postea adiectum puto ut versui 51 coniunctionem praeberet; nam de hominibus in theogonia nihil legimus; versum autem 48 *ἀρχόμεναί θ' ὑμνεῦσι θεαί, λήγουσαί τ' ἀοιδῆς* recte a Köchlyo damnatum esse ut ad exemplum notae formulae (cf. Hymn. V. 17 *οἱ δέ σ' ἀοιδοὶ ᾄδομεν ἀρχόμενοι λήγοντές τ'*) inscitissime expressum; ut genuini huius particulae versus habendi sint 44—47 et 49. Horum autem magnam intercedere similitudinem cum eis, quibus a v. 105 sq. ad theogoniam transitur, neminem fugiet; nam utroque loco eundem habemus ordinem simillimis verbis perscriptum,

44. *θεῶν γένος αἰδοῖον πρῶτον κλείουσιν ἀοιδῇ*
105. *κλείετε δ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων*
45. *ἐξ ἀρχῆς οὓς Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ἔτικτον,*
106. *οἳ Γῆς ἐξεγένοντο καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος*
46. } 111. } *οἵ τ' ἐκ τῶν ἐγένοντο θεοί, δωτῆρες ἐάων,*

quibus additur priore loco ipse Iupiter, posteriore Olympi expugnatio a iunioribus deis, scilicet Iove duce, facta. Hanc similitudinem earum partium, quibus theogoniae praecineretur, nemo mirabitur; quam vel in adnectendi ad ipsos hymnos formulis animadvertimus ter repetito isto *ὅσσαν ἱεῖσαι* 10. 43. 65. Nam etiam versus 65 eam esse vim spero me consideratis quae sequuntur demonstraturum esse; sed persequor antea totius huius loci progressum. Sequitur autem nunc brevis quidem sed sermonis colore vere poetico conspicua narratio de partu Musarum inde a v. 53. Quam cum superioribus coniungere nemo conabitur (ut verbi gratia versum 41 versus 53 sequatur); neque enim persuadebitur alicui, poetam de Musarum natalibus dicturum his praemissurum fuisse canentium laudem; immo ab ea narratione proficisci debebat, ut factum videmus in Hymnis III. XIV. XV. Novum igitur prooemium hic ordiri recte censuerunt Hermannus (cuius est quartum), Lehrsius (qui hymnum deducit a vs. 52 ad v. 74, delet autem versus 62—67 versusque 75—79 a quodam nomina Musarum addituro affictos putat) et Köchlyus; quorum sententiam cum in universum amplectar, de exordio tamen ac fine huius prooemii aliter atque illi sentio. Atque narratio illa, qua discimus Iovem in Pieria cum Mnemosyne per novem noctes

concubuisse novemque filias inde tempore praeterlapso natas esse perpetuo cantu gaudentes hilarique mente praeditas, finita est versu 61, quem nihil quod alicuius momenti sit sequitur. Indicatur sane locus in quo natae sint, qui mire dicitur fuisse haud multum infra cacumen Olympi (nivosi rursus appellati), 62

τυτθὸν ἀπ' ἀκροτάτης κορυφῆς νιφόεντος Ὀλύμπου,

quod praeterea inepte adicitur, postquam ad ipsum iam cantum transitum est. Versu deinde 63 dicitur in Olympo fuisse earum *λιπαροὺς χοροὺς καὶ δώματα καλά*, quasi de modo natis nihil praecessisset. Porro coniunguntur 64 cum Gratiis, id quod non tam ad Olympum, quam ad Heliconem pertinet[25]), et cum Himero, cui nusquam alias coniunctas habemus Musas quique Veneris comes est. Verba autem *ἐν θαλίῃς* cuinam contigit apte explicare? certe hic de habitatione Musarum, non de festis agendis dicitur. Interiecta deinde formula ista *ὄσσαν ἱεῖσαι* canere dicuntur 66 *πάντων τε νόμους καὶ ἤθεα κεδνά*, satis obscure et indistincte; ubi praeterea inconcinne ad cantum rursus reditur. Versum 67 multo postea adiecit is, qui miram illam brevitatem adumbrare vellet. Hucusque Lehrsius obelo figendo processit, servatis v. 68—74; quorum, quamvis nonnulla haud invenuste dicta exhibeant, universum tamen argumentum et consilium a superioribus videtur alienissimum. Quomodo enim dici possunt ad Olympum venire quae in Olympo natae sunt atque versantur? quomodo ad narrationem poeta redire potest v. 61 (*μέμβλεται*) relictam? an putas Musis convenire, quod terra dicitur resonare cantu et incessu earum? Postremo ineptissimum est versu 71 narrationem plane ad Iovem transire eumque per integros quattuor versus persequi, ut prorsus obliviscamur Musarum hoc loco maxime celebrandarum. Haec igitur ab eo qui natales earum narravit profecta esse persuadere mihi non possum. Sequitur denique 75—79 singularum Musarum appellatio sic incipiens

Ταῦτ' ἄρα Μοῦσαι ἄειδον, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,

quasi praecessisset argumentum quoddam cantu celebratum; quod ut inveniatur, ad vs. 66 redeundum erit. Singularum Musarum octo duobus versibus comprehenduntur, Calliope una duobus versibus celebratur; cuius gravior dignitas mirum in modum inde explicatur, quod in regum societate versetur, quasi reliquis ab ea exclusis. Hoc autem loco pedem figemus; nam quae sequuntur a v. 81, ea neque sententiae neque grammaticae vinculo cum superioribus cohaerent; et facile apparet vs. 80 a concinnatore additum esse ut has partes quodammodo coniungeret[26]). Eis autem quae attulimus cum videatur ad summam veri similitudinem adductum esse

25) Schol. Theog. 69 *φασὶν ὅτι ἐστὶν ἐν Ἑλικῶνι καὶ Χαρίτων ἱερὸν καὶ Ἱμέρου καὶ Μουσῶν.*
26) Sic etiam indicavit Köchly p. 15.

narrationem de partu Musarum versu 61 terminatam fuisse, de initio eius restat ut quaeramus. Atque Hermannus primum totius prooemii versum, Lehrsius vs. 52 narrationi praemiserunt, Köchlyus autem ipse versus ad hoc fingendi periculum fecit. Mihi quidem in hac re maxime notabilis videtur similitudo versuum 51 et 37

ὑμνεῦσαι τέρπουσι |*μέγαν* / *Διὸς*| *νόον ἐντὸς Ὀλύμπου,*

quam ita commodissime explicari puto, ut dicamus rhapsodum aliquem substituisse loco prioris illius hymni versibus 36—41 comprehensi alium de partu Musarum, servatis prioribus duobus versibus, sic fere

Μουσάων ᾄδειν ἀρχώμεθα, ταὶ Διὶ πατρὶ
ὑμνεῦσαι τέρπουσι μέγαν νόον ἐντὸς Ὀλύμπου,
τὰς ἐν Πιερίῃ Κρονίδῃ τέκε πατρὶ μιγεῖσα
Μνημοσύνη, γουνοῖσιν Ἐλευθῆρος μεδέουσα,
λησμοσύνην τε κακῶν ἄμπαυμά τε μερμηράων.
ἐννέα γάρ οἱ νύκτας ἐμίσγετο μητίετα Ζεὺς
νόσφιν ἀπ' ἀθανάτων ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνων.
ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐνιαυτὸς ἔην, περὶ δ' ἔτραπον ὧραι,
μηνῶν φθινόντων, περὶ δ' ἤματα πόλλ' ἐτελέσθη,
ἡ δ' ἔτεκ' ἐννέα κούρας ὁμόφρονας, ᾗσιν ἀοιδὴ
μέμβλεται, ἐν στήθεσσιν ἀκηδέα θυμὸν ἐχούσαις.
χαίρετε τέκνα Διός, δότε δ' ἱμερόεσσαν ἀοιδήν.

Ea autem quae versibus 62—80 a nobis reiectis leguntur quomodo orta sint, videamus possitne coniectando cognosci. In quibus quamquam argumento sui dissimillimis comparent tamen, quae ad res a Musis cantu celebratas pertineant, v. 65. 66 *ἐρατὴν δὲ διὰ στόμα ὄσσαν ἰεῖσαι μέλπονται πάντων τε νόμους καὶ ἤθεα κεδνά.* Nec mirum videbitur etiam huic prooemio brevem carminis argumenti indicationem adiectam esse, sicut in ceteris factum erat. Sane verba *πάντων νόμους καὶ ἤθεα κεδνά* nimis brevia et obscura sunt, quam quibus illud apte significetur. Considerantes autem versum 75 *Ταῦτ' ἄρα Μοῦσαι ἄειδον* etc. fere ultro adducimur ut putemus praecessisse hic antea ampliorem quandam argumenti indicationem. Iam adspiciens attente, quomodo versus 65. 66. cum praecedente narratione conexi sint, non negabis opinor, intercedere eorum quandam cum eis quae versum 41 sequantur similitudinem. Habes *νιφόεντα Ὄλυμπον* 42 et 62, *δώματα ἀθανάτων* 43 et *δώματα καλά* 63, *ὄσσαν ἰεῖσαι* 43 et 65. Quibus perpensis vix dixeris me cupidius agere, si conicio huic quoque de partu Musarum hymno antea verba quae nunc legimus v. 43—49 transitionis causa a rhapsodis addita fuisse cum eoque coniuncta versibus ad exemplum illorum 42. 43 expressis, verum pro sententia alterius hymni commutatis, hoc fere modo

65. *ἐν θαλίῃς· ἐρατὴν δὲ διὰ στόμα ὄσσαν ἱεῖσαι*
44. *θεῶν γένος αἰδοῖον πρῶτον κλείουσιν ἀοιδῇ,*

et q. s. usque ad v. 49. Sic facilius intelligimus consilium versuum 75—79, additorum a rhapsodo qui in narratione de natalibus Musarum desideraret nomina earum[27]); nam commemorato quod Musae cecinissent facile pergi poterat *ταῦτ' ἄρα Μοῦσαι ἄειδον*. Concinnator ille cum hos hymnos eadem transeundi particula auctos coniungeret, intelligens non posse idem bis scribi, ab altero hymno removit illa eorumque loco unum finxit versum 66, quo cantatio Musarum brevissime significaretur, adiecitque versus 68—74 ex alio forsitan de Musis carmine sublectos. Pertractata igitur hac altera prooemii parte priori illi hymno addidimus duos alios, utrumque brevi argumenti indicatione auctum.

Pervenimus ad postremam partem versibus 81—115 comprehensam. In qua primum versus 81—93 argumenti aequalitate cohaerent. Dicuntur hic Musae, si quem regem „nascentem placido numine viderint",

ὅντινα τιμήσωσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι διοτρεφέων βασιλήων,

largiri ei et vocis suavitatem et litium dirimendarum peritiam, ita ut cum omnes verecunde adspiciant,

ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ θεὸν ὣς ἱλάσκονται
αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισιν.

Haec Musarum benignitas in fine breviter repetitur his verbis v. 93

οἵά τε Μουσάων ἱερὴ δόσις ἀνθρώποισιν.

Cui tamen versui adhibita *γὰρ* particula (94 sq.) alterius Musarum liberalitatis praedicatio adiungitur, qua poetas honorent; ut versum hunc vix scias utrum ad praecedentia an ad sequentia pertinere iudices. Apparet eum a concinnatore ad iungendas diversas partes compositum esse, ut unanimiter iudicarunt Hermannus, Lehrsius, Köchlyus. Atque Lehrsius versibus 81—93 integrum hymnum contineri putavit, cui praecederet

27) Köchlyus in hymno suo quinto, cui etiam versus 68—74 vindicat, nomina Musarum retinuit transposita ita ut post v. 68 inserantur 77—79, *ἀμβροσίῃ μολπῇ* autem verba v. 69 causam praebeant cur Calliope inter ceteras excelleret. Aegre ferimus hic adiectivum *ἀμβροσίῃ*; omnino idoneam causam cur nomina Musarum serventur desideramus, quae contra Gruppius non apte in prooemio prolata esse dixit, cum ne in ipso quidem carmine (v. 915) extarent. Certe si addere ea voluit narrationis illius auctor, inserere debebat statim post natalium commemorationem. Non omittam hic sententiam G. Hermanni, qui de comp. th. p. 22 statuit Musarum nomina antea locum habuisse in ipsa theogonia post v. 917, unde huc in prooemium translata essent. Huic sententiae ipse Köchlyus adstipulatus est p. 26.

vs. 1, sequerentur vs. 104—115 ad transitum faciendum; alium autem hymnum versibus 94—103 effici. De hoc postremo prius videbimus; est enim ille, cuius quattuor priores versus peculiarem hymnum XXV inter Homericos efficiunt

[Μουσάων ἄρχωμαι Ἀπόλλωνός τε Διός τε.]
ἐκ γὰρ Μουσάων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπὶ χθόνα καὶ κιθαρισταί·
ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες· ὁ δ' ὄλβιος, ὅντινα Μοῦσαι
φίλωνται· γλυκερή οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή.
[Χαίρετε etc.]

Quos versus cum Wolfius iudicasset sciri non posse cuius ex ore primum excepti essent, Hermannus pronuntiavit prooemium Homericum petitum esse ex Hesiodi theogonia; cumque secutus Baumeisterus (ed. hymn. mai. p. 103) totum hymnum illum XXV ex Hesiodi verbis consutum esse affirmavit. Mirum sane consilium erat grammatici qui hymnorum Homericorum seriem composuit, primum quod non etiam principium et finem hymni illius ex Hesiodo sumeret, deinde quod hanc potissimum partem, neque potius principium, aut narrationem de natalibus Musarum ad efficiendum peculiarem hymnum eligeret. Itaque videor mihi eodem, immo meliore iure contendere, hymnum peculiarem in Musas compositum similiter ut alios theogoniae praemissum eoque modo in hoc prooemium illatum esse; cuius primum versum sane concinnator, cum eum non in initio poneret, prorsus omittere debebat. Hymnum autem apud Homerum (licebit brevitatis causa hoc nomine uti) quattuor versibus comprehensum excipiunt apud nostrum alii sex 98—103

εἰ γάρ τις καὶ πένθος ἔχων νεοκηδέϊ θυμῷ
ἄζηται κραδίην ἀκαχήμενος, αὐτὰρ ἀοιδὸς
Μουσάων θεράπων κλεῖα προτέρων ἀνθρώπων
ὑμνήσῃ, μάκαράς τε θεοὺς οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
αἶψ' ὅγε δυσφροσυνέων[28]) ἐπιλήθεται, οὐδέ τι κηδέων
μέμνηται· ταχέως δὲ παρέτραπε δῶρα θεάων.

28) Hic plerumque legitur δυσφρονέων ἐπιλήθεται, cum tamen primum verbi ἐπιλανθάνεσθαι cum participio coniunctio apud epicos minus usitata sit, deinde hoc loco genetivus praeferri debeat vel propter responsionem verborum κηδέων μέμνηται. Δυσφροσυνέων autem codicum habent Flor. B. E, Vat. V. Par. 1, praeterea, quos Lennepius omisit, Flor. D aliusque Florentinus saec. XIV. no. 2823. 2. a nemine adhuc collatus, a Schoemanno tantum significatus Opusc. II p. 512, qui falso eum Flor. D esse putavit. De his duobus codicibus amice me certiorem fecit Augustus Reifferscheidius, qui hos et duos alios Florentinos (B E) Florentiae me rogante denuo inspexit. Vocem δυσφροσυνάων habes Theog. 528.

Videmus haud invenuste his versibus exponi, quomodo tristitia confecti cantu delectentur et exhilarentur. Quos versus utrum ab eodem, qui 94—97 composuit, profectos esse putem, an ab alio rhapsodo additos, qui vocis γλυκερή vim amplius persecuturus esset, vix pro certo affirmare ausim. Fateor tamen me magis in posteriorem sententiam inclinare; in versibus enim 94—97 summa sententiae in eo posita est, ut is ipse felix esse dicatur, quem Musae ament, cum in sequentibus fere de eo dicatur qui poetam audiat, non de poeta ipso. Verum de hoc alii certius iudicent: nobis quaerendum erit quibus versibus hic hymnus finitus fuerit. Et apud Homerum hi sunt hymni XXV postremi versus

χαίρετε τέκνα Διός, καὶ ἐμὴν τιμήσατ' ἀοιδήν·
αὐτὰρ ἐγὼν ὑμέων τε καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς.

quorum discrepantiam a nostro versu 104 ita explicandam puto, ut dicam hoc versu 104 primum seu priores hymnos conclusos fuisse, a concinnatore autem omnino unum solum ad conclusionem factum versum scribi potuisse. Huic autem hymno si quaerimus num qui versus transitionis faciendae causa additi fuerint similiter ut prioribus illis, facillime se nobis offerunt versus 105—115; quorum tamen non omnes genuinos habere possumus. Nam si versibus 105—107 de progenie Coeli, Terrae et Maris dicitur

κλείετε δ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων,
οἳ Γῆς ἐξεγένοντο καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
Νυκτός τε δνοφερῆς, οὕς θ' ἁλμυρὸς ἔτρεφε Πόντος.

horum autem ipsorum origo versibus 108—110

εἴπατε δ' ὡς τὰ πρῶτα θεοὶ καὶ γαῖα γένοντο,
καὶ ποταμοὶ καὶ πόντος ἀπείριτος, οἴδματι θύων,
ἄστρα τε λαμπετόωντα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,

patet haec ab initio non ita coniuncta esse potuisse. Itaque Ritschelius[29]) vs. 108—110 ante vs. 105—107 transponendos esse iudicavit, Hermannus autem vs. 108—110 in altera recensione pro vs. 105—107 extitisse. Longius etiam processit Köchlyus, qui praeter vs. 108—110 etiam vs. 107 damnavit p. 16; in quam sententiam eo libentius concedo, quod video versibus 44—49 ad horum similitudinem ut vidimus expressis de mari nocteque nihil dici. Terminata autem haec omnia erant versu 113[30]).

29) Sched. crit. p. 34.

30) Versus 108—110 sine dubio is loco vs. 105—107 substituit, qui desideraret de ipsa Coeli et Terrae origine dici. Versu 111 nonnullis suspecto carere non possumus, cum ii ipsi, qui Coeli

Restat ut videamus, quid versibus 81—93 fiat; quibus diximus Lehrsium singularem hymnum effici putare, quo Musae celebrentur regibus prudentiam et eloquentiam largientes. Perlegenti autem hunc locum non una offendendi causa occurret. Mirum praeter cetera est, quod poeta quamquam de regibus dicturus eos in fine demum alterius versus nominat, sic exorsus quasi in universum locuturus de eis qui a Musis honore afficerentur. Versum deinde 83 plures et meliores codices ita scriptum exhibent

τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἀοιδήν[81]),

cum ceteri, adstipulante Themistio, pro ἀοιδήν habeant ἐέρσην. Hoc postremum a plerisque recentiorum editorum receptum est, Graevium sequentibus dicentem: „Quid regibus cum cantilena? poetarum hoc donum est, non regum". Alterum tuitus est primus Wolfius, canendi facultatem dicens a regum illius aetatis dignitate non ita alienam fuisse; deinde Mützellius, qui vocem ἀοιδήν ad quamvis numerosam et bene temperatam orationem quadrare censebat, voce ἐέρσην autem veterrimis poetis imaginem obtrudi nimis subtilem et ab eorum dicendi genere alienam. Addere potuit, non intelligi posse quomodo veteres librarii, si ἐέρσην sibi traditum legerent, hoc in ἀοιδήν mutarent sententiam obscuriorem reddentes. Recte autem rursus Graevius, nihil esse regibus cum cantilena; dicere potuit, Musis nihil omnino esse cum regibus. Reges enim hic praedicantur non canendi, ut Wolfius voluit, sed eloquentiae et iuris periti; has autem virtutes antiquissimo tempore nemo Musis acceptas ferebat, quae soli cantui artique ab ipsis nuncupatae praeessent. Nam aliarum artium (saltationem excipio) seu adeo scientiarum a Musis derivatarum exempla e veterioribus Graecis poetis vix quisquam afferet; immo ne postea quidem, florente eloquentia quam maxime, a clarissimis oratoribus Musas invocatas invenimus, deesque et eloquentia et iuris peritia in nota illa singularum disciplinarum inter singulas Musas distributione recentissima aetate absoluta. Sententiam igitur si spectamus, etiam difficilior res evadit, ac videtur hic subesse mendum paulo gravius, certe reconditius. Incipit poeta non quasi de regibus dicturus, quos tamen adicit; voce utitur ἀοιδήν regibus non apta; regias virtutes a Musis derivat prorsus insolenter. Nunc adspicias praeterea versum 91

ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ θεὸν ὣς ἱλάσκονται.

Terraeque prole nati erant, Olympo potiti sint. Versus 114. 115. ineptissime ceteris additi iam veteribus suspecti erant.

81) Habent hoc codicum familiae A et B cum Triclinio, quibus accedunt testimonia Stobaei et Aristidis.

Huic in scholiis adscriptum est *γρ. ἀν' ἀγῶνα*, quae lectio copiosa enarratione illustratur[32]); eandemque praebent scholia Iliadis ad XXIV. 1, ut dubitari nequeat, quin ea in compluribus veterum exemplaribus scripta fuerit. Quam explicare studebant ita, ut universae sententiae conveniret; nobis tamen constat *ἀγῶνα* non idem prorsus esse quod *ἀγοράν*, verum ad sola certamina pertinere, significare autem etiam concionem eorum causa convocatam et vel locum in quo celebrentur. Sic igitur versus 81, 83, 90 aptissime de poetis dicerentur, nisi superessent reges in ceteris versibus[33]). E quibus sane vs. 88—90

τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι
ῥηϊδίως, μαλακοῖσι παραιφάμενοι ἐπέεσσιν

iam a Köchlyo recte remoti sunt, ut quibus totus sententiarum nexus turbetur; nam postquam de regibus singulari numero dictum erat 87, nunc subito plures afferuntur, ut *ἐρχόμενον* vocabulum v. 91 iam non habeat quo pertineat. Praeterea illis versibus reges absurde dicuntur propterea esse prudentes, quia iniurias arceant, cum tamen exspectemus eos dici propterea a populo amari, quia illud faciant; id quod rhapsodus dicere fortasse voluit. Iam supersunt reges in versibus 82 (de quo in annotatione dicimus) ac praeterea v. 84—89,

τοῦ δ' ἔπε' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα· οἱ δέ νυ λαοὶ

32) Schol. *γρ. ἀν' ἀγῶνα, ἀντὶ τοῦ ἀνὰ τὸ ἄθροισμα. Λέγεται δὲ τριχῶς, αὐτὸ τὸ χωρίον, καὶ ὁ ἐν αὐτῷ ὄχλος, καὶ τὸ ξυναμφότερον, ὥσπερ καὶ πόλις.* Schol. Il. l. c. *παρὰ δὲ Βοιωτοῖς ἀγὼν ἡ ἀγορά, καὶ τὸν ἀγορανόμον ἀγώναρχον καλοῦσιν. ὅθεν καὶ ἀγωνίους θεοὺς Αἰσχύλος τοὺς ἀγοραίους καὶ Ἡσίοδος· ἐρχόμενος δ' ἀν' ἀγῶνα.* Cf. quae Mützellius doctissime disputavit p. 339.

33) De versu 82 *γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι διοτρεφέων βασιλήων* mihi similis quaedam opinio oborta est, quam hoc loco lectorum iudicio proponam. Nam si haec omnia perpendimus, quae de horum versuum sententia dicta sunt, si addimus *διοτρεφέων βασιλήων* mire tam sero proferri, libenter feremus, si quis nobis demonstrare potuerit etiam in hunc versum regum nominationem postea intrusam esse. Videmus autem, sententiam in hoc versu non plene expressam esse; non enim satis erat dixisse, Musas aliquem adspexisse, sed qua mente cum adspexerint, hoc maximi erat momenti. Sic Theocritus in loco ad huius exemplum conformato (Id. XVII. 74): *ὁ δ' ἔξοχος, ὅν κε φιλάσῃ γεινόμενον ταπρῶτα*, sic Callimachus in scholiis citatus *ὄμματι — μὴ λοξῷ*, sic denique Horatius „quem tu — nascentem placido lumine videris“. In ipsis scholiis haec ita explicantur: *εὐμενῶς θεάσονται, ὅντινα — ἴδωσι καλοῖς ὀφθαλμοῖς;* quod eo loco, ubi nunc *διοτρεφέων βασιλήων* est, olim extitisse mihi veri simillimum videtur. Hoc, si hariolari liceat, sic fere fuisse coniciam: *γεινόμενόν τε ἴδωσι* (sic Stobaeum secutus scribo) *φίλως καὶ πρόφρονι θυμῷ.* Hymn. XXX. 7: *ὁ δ' ὄλβιος ὅν κε σὺ θυμῷ πρόφρων τιμήσεις.* Hymn. Cer. 486. *μέγ' ὄλβιος, ὅντιν' ἐκεῖναι προφρονέως φίλωνται.* Odyss. VIII. 498. *ὡς ἄρα τοι πρόφρων θεὸς ὤπασε θέσπιν ἀοιδήν.* Theog. 536, *πρόφρονι θυμῷ.*

πάντες ἐς αὐτὸν ὁρῶσι διακρίνοντα θέμιστας
ἰθείῃσι δίκῃσιν· ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύων
αἶψά τε καὶ μέγα νεῖκος ἐπισταμένως κατέπαυσε.

Horum autem neminem fugiet mira similitudo cum loco Homerico Odyss. VIII. 170

οἱ δέ τ' ἐς αὐτὸν
τερπόμενοι λεύσσουσιν· ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει
αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισιν,
ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ θεὸν ὣς εἰσορόωσιν.

Ad horum exemplum igitur poeta noster se conformavit, quem quidem ego etiam versum illum *αἰδοῖ* etc., qui nunc prorsus inutilis et superfluus post v. 91 legitur, post 86 scripsisse puto, ubi nunc ineptissimum versum 87 legimus. Cetera deinde si ab aliquo, qui similitudinem versus 91 Hesiodei cum v. 173 Homerico animadverteret, postea afficta putare licet ut Homeri imitatio plena existeret, iam his eiectis reges non amplius hic haberemus. Quid multa? sententiae veterisque lectionis vestigiorum habita ratione reges hinc exulare iubebimus solosque poetas et *ἀοιδούς* retinebimus locum sic exhibentes

81 *ὅντινα τιμήσωσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,*
γεινόμενόν τε ἴδωσι [φίλως καὶ πρόφρονι θυμῷ,]
τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἀοιδήν,
τοῦ δ' ἔπε' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα· οἱ δέ νυ λαοὶ
πάντες ἐς αὐτὸν ὁρῶσι . . . . [34])
91 *ἐρχόμενον δ' ἀν' ἀγῶνα θεὸν ὣς ἱλάσκονται.*

Hisce igitur si quis versu in initio ac praeterea in fine adsumpto integrum hymnum efficere voluerit (qui quidem pro *ὅντινα τιμήσωσι* scribere debebit *ὅντινα γὰρ τιμῶσι*), ego non obstinate obloquar, essetque is hymnus quintus e prooemio nostro erutus. Nequeo tamen reticere, videri mihi miram similitudinem intercedere inter versus quos supra exhibui duosque postremos hymni illius 94—97

ὁ δ' ὄλβιος, ὅντινα Μοῦσαι
φίλωνται· γλυκερή οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή.

Habes et structurae et sententiae similitudinem vix casu ortam, immo, ut equidem opinor, imitationis studio. Turbabatur fortasse rhapsodus, qui vs. 96. 97 reges et Iovem nominatos videret, cum tamen in exordio maioris carminis solas Musas invocaturus esset; quamobrem in eorum locum alios versus substituere conabatur. Rursus

34) Cetera si probabiliter disputavi, oportet etiam postrema huius versus vocabula *διακρίνοντα θέμιστας* versusque sequentes interpolatori tribuamus, quibus celebratur iuris dicundi peritia a Musis prorsus aliena. Fuisse puto in fine versus 85 canendi quandam commemorationem, quam sic fere conformatam fuisse conicias *πάντες ἐς αὐτὸν ὁρῶσιν ἀ ε ι σ ό μ ε ν ο ν κ λ έ α ἀ ν δ ρ ῶ ν.*

ita extiterant duo hymni inter se simillimi atque eisdem versibus incipientes, qui tum a concinnatore ita coniungebantur, ut praemitteret ea quae in altera recensione discreparent, haec autem ipsa cum praecedenti Musarum enumeratione conciliaret inserto versu 80

ἣ γὰρ καὶ βασιλεῦσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

Hoc versu commotum arbitror aliquem aut rhapsodum, aut vero etiam lectorem, qui scriptum et concinnatum carmen sibi legendum atque recensendum sumeret, ut versibus 81 sq. hic illic immutatis reges inter Musarum discipulos induceret. Hanc autem versuum 81—93 novam recensionem, in margine ut puto adscriptam, alius qui sententiae concinnitatem non curaret, ita cum priore commiscuit, ut prorsus incertum redderet, utrum de regibus an de poetis diceretur; plurima enim cum ad reges pertinere fecisset, haud tamen sustulit *ἀοιδήν* vs. 83 et *ἀν' ἀγῶνα* vs. 91, quibus postremae demum aetatis grammatici mederi studebant.

Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung.

OBERPRIMA.

Ordinarius: OL. Dr. Freudenberg.

1. Religionslehre. a) Kath. Conf. Die Glaubenslehre von der Erlösung, der Rechtfertigung und den Sacramenten. Dr. Dubelman. b) Evang. Conf. Die Glaubenslehre. Wiederholung und Fortsetzung der Kirchengeschichte. Gelesen wurden im Urtext ausgewählte, bei der Glaubenslehre behandelte Abschnitte des neuen Testaments. Pf. Wolters. *2. Deutsch.* Litteraturgeschichte von den Meistersängern bis zur neuern Zeit nebst Proben. Uebungen in der Logik. Aufsätze. Prof. Remacly. *3. Latein.* a) Ciceros Tuscul. V. und aus Tacitus Hist. IV. der Krieg der Deutschen unter Civilis; häusliche Uebersetzungen und freie Arbeiten. Der Ordinarius. b) Ausgewählte Oden und Briefe des Horaz, verbunden mit Uebungen im Lateinsprechen, Vortrag auswendiggelernter Oden, Extemporalien. Der Director. *4. Griechisch.* a) Platos Protagoras und Thucydides VI., stellenweise lateinisch übersetzt. Schriftliche Uebersetzungen aus dem Deutschen. OL. Giesen. b) Homers Ilias XII—XVI. Prof. Remacly. *5. Französisch.* Horace von Corneille und le Misanthrope von Molière. Sprechübungen und schriftliche Arbeiten. GL. Kneisel. *6. Hebräisch.* Beendigung der Formenlehre und die Syntax. Buch der Richter und Psalmen mit Auswahl. Dr. Dubelman. *7. Geschichte und Geographie.* Die neuere Zeit mit besonderer Berücksichtigung der Brandenburg-Preussischen Geschichte. Der Ordinarius. *8. Mathematik.* Gleichungen des II. Grades mit m. Unbekannten; Progressionen und der binomische Lehrsatz, Beendigung der Trigonometrie. Schriftliche Arbeiten. OL. Zirkel. *9. Physik.* Optik, Electricität und Magnetismus. Derselbe.

UNTERPRIMA.

Ordinarius: Prof. Remaely.

1. Religionslehre. a) Kath. Conf. Die Glaubenslehre bis zur Lehre von der Erlösung. Dr. Dubelman. b) Evang. Conf. mit Oberprima combinirt. *2. Deutsch.* Litteraturgeschichte bis zur Reformation nebst Proben. Uebungen in der Logik. Aufsätze. Dr. Deiters. *3. Latein.* a) Sallusts Iugurtha und Ciceros Philipp. II.; häusliche Uebersetzungen und freie Arbeiten. Der Ordinarius. b) Ausgewählte Oden des Horaz, verbunden mit Uebungen im Lateinsprechen, Vortrag auswendiggelernter Oden, Extemporalien. Der Director. *4. Griechisch.* a) Xenoph. Hellen. II—IV. mit Auswahl, stellenweise lateinisch übersetzt. Die Lehre von dem Infinitiv, den Participien und Negationen. Schriftliche Uebersetzungen aus dem Deutschen. Der Ordinarius. b) Homers Ilias I—VI. Dr. Freudenberg. *5. Französisch.* Michaud I. Croisade und Iphigenie von Racine. Gebrauch der Participien, der Inversion und der Partikeln, nebst der Verslehre. Schriftliche Arbeiten. GL. Kneisel. *6. Hebräisch* mit Oberprima combinirt. *7. Geschichte und Geographie.* Das Mittelalter, mit besonderer Berücksichtigung der deutschen Geschichte. Dr. Freudenberg. *8. Mathematik.* Logarithmen, Gleichungen des II. Grades, Diophantische Gleichungen. Der Stereometrie zweite Hälfte und die Elemente der Trigonometrie. Schriftliche Arbeiten. OL. Zirkel. *9. Physik.* Die Lehre von den luftförmigen Körpern, vom Schalle und von der Wärme. Derselbe.

OBERSECUNDA.

Ordinarius: GL. Dr. Binsfeld.

1. Religionslehre. a) Kath. Conf. Die Sittenlehre und Kirchengeschichte. Dr. Dubelman. b) Evang. Conf. Aus der Glaubenslehre Wiederholung und Fortsetzung der Lehre von Gott. Fortsetzung der Kirchengeschichte. Gelesen wurden griechisch Abschnitte aus den Evangelien. Pf. Wolters. *2. Deutsch.* Erklärung lyrischer Gedichte und Analyse von Reden. Declamation. Uebungen im Disponiren. Aufsätze. Dr. Freudenberg. *3. Latein.* a) Ausgewählte Stücke aus Livius I—V. Die Lehre vom Coniunctiv, Imperativ, Particip, Gerundium und Supinum, nebst Abschnitten der Syntaxis ornata. Schriftliche und mündliche Uebersetzungen aus dem Deutschen. Anfänge freier Arbeiten. Der Ordinarius. b) Virgil. Aen. III. und IV. nebst metrischen Uebungen. Prof. Remacly. *4. Griechisch.* Homers Odyssee

V—X. und Herodot I—III. mit Auswahl, stellenweise lateinisch übersetzt. Die Lehre vom Verbum bis zum Infinitiv. Schriftliche Uebersetzungen aus dem Deutschen. Der Ordinarius. *5. Französisch.* Choix de nouvelles. Die Tempora und Modi und die Rection des Zeitwortes. Schriftliche Arbeiten. GL. Kneisel. *6. Hebräisch.* Die Elementarlehre und die regelmässige Formenlehre. Uebungen im Lesen und Uebersetzen. Dr. Dubelman. *7. Geschichte und Geographie.* a) Geschichte der Römer. b) Die Geographie Italiens nebst einer kurzen Uebersicht Spaniens und Galliens. Dr. Freudenberg. *8. Mathematik.* Gleichungen des I. Gr. mit m. Unbekannten; Potenzen und Wurzeln. Die Kreisrechnung und der Stereometrie erste Hälfte. Schriftliche Arbeiten. OL. Zirkel. *9. Physik.* Die Gesetze der Bewegung fester Körper und die Hydrostatik. Derselbe.

UNTERSECUNDA.

Ordinarius: OL. Giesen.

